

Vincere non certet, non Sol quo tempore clarum
 Metitur niveis æthera quadrijugis.
 O bene consultum erectos ad sidera vultus
 Quod gerimus: magni numinis illa domus,
 Illa Dei sedes, totum qui complet Olympum,
 Aeraque, ac terras, ac mare fluctifonum,
 Mentis & humanæ latebras rimatur, & omne,
 Quidquid id est, penitus fasve nefasve videt,
 Debita ne defint virtuti præmia, desit
 Ullis ne merces debita flagitiis.
 Tum canit Elysiumque nemus, placidamque piorum
 Sedem hominum, ingentis gaudia lætitiæ
 Prebentem adsidue, camposque, & florea rura,
 Crescentem & passim largiter ambrosiam.
 Addit Cimmerias fauces, noctemque profundam,
 Jactantemque manu sulfura Tisiphonen,
 Verberaque, immanesque rotas, volvendaque saxa,
 Rimantesque epulis viscera vulturios:
 Nota quidem vati, sed nondum visa; jugali
 Nec sibi adhuc vinclo junxerat Eurydicen;
 Infelix, raptam fato quam luxit acerbo,
 Quæsitque amens, condere se in barathrum
 Nec timuit, lustrans quidquid tellure sub ima est,
 Ausus & inferni limen adire Jovis.
 Tempore quo, ut perhibent, inlecti carmine manes,
 Latratumque triceps bellua continuit;
 Sibila & Eumenidum torvi tenuere dracones;
 Nedum hominum posset cedere nolle genus
 Suaviloquo vati, nec velle admittere cultum,
 Communique suas figere in urbe domos,
 Et, sævo terrore, ac vi procul ablegata,
 Certare alternis comiter officiis.
 Salve, magne parens hominum, interpretæque Deos
 Barbaries primum quo duce victa fuit: